DEO OPT. MAX. VNI ET TRINO, VIRGINI DEIPARÆ, ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA,

CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS, XVIII. FEBRVARII,

M. DIONYSIO ALLAIN, Doctore Medico, Præſide.

Eſt-ne Nutricis ſubfuſcæ Lac ſalubrius? 1036

QVI ſanus vtroque parente prodit infans, is verè εὐφυής; neque enim graviditatis moleſtiis, partuſ-ve laboribus, non vni animalium homini neceſſariâ ὀμφαλοτομίᾳ, non meconii exitu ἐκκοπρωτικῷ moliendo, non aquæ dulcis balneo, aut oleo, non ſale aut myrtho cute denſata, ita afficietur, quin ſtatim atque is fuerit modico melle & quiete recreatus, & pannis debitè involutus, & ita ab vtriſque iniuriis vindicatus, divulſum fame ſtomachum, non tam miſeriarum ratione duci, quàm penuriâ conuenientis pabuli, atque idcirco illius vbertate deliniri ſentiat: ψυχὴ τοῦ ἀνθρώπου μέχρι τοῦ θανάτου φύεται. Nutritur homo, augetur, viget, conſiſtit, decreſcit, ſeneſcit, moritur, ſed imparibus momentis: Idque vnius nutritionis ope, quæ fit, dum alimentum parti nutriendæ aſſimilatur, tripliciſque functionis, χυλώσεως, αἱματώσεως, ὁμοιώσεως, quatuor facultatum beneficio, attractricis, retentricis, coctricis, & expultricis.

CALIDVM & humidum puerorum corpus, triplici conſtans ſubſtantiâ, ſpirituosâ, humidâ, ſolidâ, fluidum eſt atque molle, & ideo perpetuò tranſpirabile, quo fit vt aſſiduo alimenti conuenientis vſu indigeat, extinctionis metu: accedit vt & inſuper augeatur, quibus neceſſitatibus vt prouideret Naturæ ſagacitas, ſanguinem quem dum vtero concluderetur, per vaſa vmbilicalia ad eius alimoniam ſufficeret, eumdem vbi is deſiit eſſe vtilis, mutato ad ſuperiores partes curſu, ad mammas, poſtquam per multos plexus & labyrinthos excoquendum & dealbandum tranſmiſit, vi quadam γαλακτοποιητικῇ, pluribus venis, paucis arteriis coëuntibus, (ne ſcilicet æqualis iactura ſpirituum ac ſanguinis fieret, minuſque inde vtilis circulatio ſanguinis videretur,) τὰ γάλακτα τῶν ἐπιμηνίων ἀδελφά, ita lac εὐτρόσφυτον, dulciſſimumque prodiret maternum, quod eo ſuauius, quo per nouem menſes aſſuetum: quod ſi aliqua occaſione deficiat,

ILLVD eligatur, quod ſubſtantiâ ſit mediocre, inter craſſum & tenue, colore albo, ſubnigricante, guſtu dulce, odore ſuaui, tactu modicè inhærens, & ſub-viſcidum, quod à nutrice prodeat temperatâ, mediocriter carnoſâ, nonnihil ad gracilitatem declinante, corpore proceriore, ætate iuuenili, non multum prouecta, facies illi ſit hilaris, amplum pectus, ſpiritus liber, dentes integri, mammæ mediocres, imò minùs carnoſæ, ſed quæ pluribus venis ſi non conſpicuæ, ſaltem ſint refertæ, quæ in medio ſui papillas geſtent, quas ſine moleſtia ſugat puer, quæ lac fundant, quod in aquam immiſſum, neque cogatur grumeſcatve, neque inſtar ſeri diffluat, ſed in vngue ſuſceptum vnionis inſtar conſiſtat: ita verò copioſum profundatur, vt poſſit ſuccedere εὐπεψία, καὶ μέτριος ὑπαγωγή: præter id conuenit leniendis aliis infantium doloribus, etiam grandiorum, imò & ſolo lacte vixere plures, & ad μακροβιότητα non parum confert. Quod vbi dentes emiſerit eoſque molares, vberius & ſolidius alimentum conceditur, panatella, pulticula, intritæ carnes, iuſcula. Abſtemia ſit; longè à conjuge, nec minùs ſibi, quàm puero vivat; aëre fruatur temperato, purior; ſomnum obeat paulò longiorem ac placidiorem.

NEC in aſſumendis puerorum regendorum ratio ſolùm collocanda, ſed & in educendis, tum propter nimiam plenitudinem ob ingluviem, tum propter excrementa, quorum vis eſt corruptiva. Iis ὑγιεινῆς proſpexit exercitationum, ſive motuum, variis inventis, quorum beneficio tum ea devitetur, cæteraque arceantur; eæ ſunt, geſtatio in vlnis, in cunis, frictiones molles, cum oleo, concocto priùs in ventriculo cibo, balnea aquæ dulcis, leues ambulationes, in cathedra, lectica, curru, muſica, pictura, ſenſationes gratæ, quarum ope nativus calor vegetior redditus, excrementa tenuat, fundit, pellit, membra ſenſim augeſcunt, roborantur. Mouebunt & animi pathemata, præſertim lætitia calorem & ſpiritus iucundi ſpecie, vt iis vterque augeatur, atque diffundatur: contrà triſtitia intropellit, obſtructiones ſæpe parit, potiſſimùm ſi cum repentino metu coniungatur: Iis vbi vtetur, in pueri ſalutem omnia ſuccedent: Et ſic cum illius diligenti cura & perpetua munditie biennii ſpatium, quo debet ablactari, feliciter adventabit.

CÆTERARVM nutricum lac iis dotibus deſtitutum, minus aptum quam pro ſervanda pueri calida & humida temperie, & molli εὐσαρκίᾳ corporis, cum eius ſufficienti incremento cenſebitur; ſi enim ſeroſius illud ſit minuſque craſſum, alimoniam vix præſtabit, fluxiones plures in fauces, pulmones & alvum creabit; ſi craſſum, diſtributioni nocebit, inde obſtructiones jecoris & lienis, & ſi in diſſitas diffundatur partes, calculus, ſcirrhus, puſtulæ: quod ſi palato aut naribus non ita arriſerit, aut cum difficultate trahatur, faſtidium, nauſeam, vomitum, lacrymas, & tandem, ſi hæc non exoriantur, ἀτροφία ſuccedet. Quod ſi aut bilioſius aut magis melancholicum, mordax, ſalſum, acreve, illud ſit, vtriuſque cacochymiæ collectio non immeritò metuenda expectabitur; quæ cum vtraque ſit ſummopere fugienda, iudicabit peritus: quòd ſit ei facile in educandis pueris, lac ſubfuſcæ mulieris eſſe ſalubrius.

Ergo Nutricis ſubfuſcæ Lac ſalubrius.



477

Proponebat Lutetiæ CAROLVS PATIN, Pariſinus, A. R. S. H. M. DC. LV.